requirant et si à Domino vel à Dominis submonitus, infra quindecim diès, culpam suam emendare noluerit, nec vel per Dominum nec per Dominos in quorum districtio possessiones ejus sunt, justicià de eo haberi potuerit, liceat juratis omnino malefactoribus illius subernam destruere. Quod si malefactor de potestate non fuerit re ad Dominum Ville perlata si per ejus ammonitiònem infra quintum decimum diem, forisfactum non emendaverit, liceat Majori et juratis pro ut potuerint de eo vindictam querere. Si quis autem malefactorem illum de potestate ejèctum, infra terminos predictarum villarum ignoranter conduxerit et ignorantiam suam sacramento poterit. Eundem malefactorem illa sola vice liberum reducat. Si vero non potuerit usque ad condignam satisfactiònem malefactorum retineatur. Si vero ut evenire sepe solet aliquibus altercantibus alter alterum pugno vel pama percusserit et ei turpe improperium dixerit, legitimo testimonio convictus ei in quam peccavit lege qua vivit emendet et majori ut juratis vildte pacis satisfactionem faciet. Si vero is quem lesit emendationem ejus sufficere dedignatus fuerit, non liceat ei ultra de eo vel intra terminos pacis vel extra aliquam querere ultiònem et si eum vulneraverit expensas in medicos ad eum sanandum vulnerato persolvat et consideratione juratorum dignam vulnerato satisfactionem et pacis violate emendationem majori et juratis persolvat. Si quis in malum mortale odium habuerit, non liceat ei vel exeuntem de potestate preseguì vel venienti insidias tendere.

Quod si vel venientem vel recedentem occiderit, aut aliquod ei membrum truncaverit, de prosecutione vel insidiis appellatus, divino se judicio purget.

Quod si eum aut vulneraverit, aut verberaverit, extra terminos Pacis, nisi per homines Pacis, legitimo testimonio de prosecutione vel insidiis comprobari possit, sacramento se purgare licebit.

Quod si reus inventus fuerit, caput pro capite, membrum pro membro reddat, vel ad arbitrium Majoris et Juratorum pro capite aut membri qualitate, dignam persolvet redemptionem.

Si quis in aliquem, de aliquo capitali querelam habuerit, ad justiciam in cujus districto inventus fuerit, primum de eo clamorem faciet, et si per justiciam jus obtinere non poterit, ad Dominum ejus, si in Potestate fuerit, vel ad Ministerialem ejus, si in Potestate Dominus ipse non fuerit, de homine suo clamorem faciet; et si per Dominum vel per Ministerialem ejus, habere non potuerit justiciam, ad Juratos Pacis veniat, eisque se de homine illo, nec per Dominum illius, nec per Ministerialem suum, justiciam habere posse ostendat; Jurati autem ad Dominum, si in Potestate fuerit vel si non fuerit, ad Ministerialem ejus veniant; et ut vel Dominus vel Ministerialis, homini clamanti de homine justiciam faciant, diligenter requirant, et si de eo justiciam facere vel non potuerint vel neglexerint, Jurati querent qualiter is qui clamat, jus suum non perdat.

Si fur quilibet interceptus fuerit, ad illum in cujus terra captus fuerit, ut de eo justiciam faciat, adducatur, quam si Dominus terre non fecerit, justicia in furem à Juratis perficiatur.